

„ vestra sollicita, ut nullum neque per nostrum vel Ecclesia nomen aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiat, sed omnes generaliter compellantur, quatenus cunctis vigilantibus, melius auxiliante Domino civitatis valeat custodia procurari.

Fragmentum hoc Epistolæ extat in Cap. 2. *De Immunit. Eccles.* ubi notant communiter Interpretes, hæc intelligi debere de casu magnæ necessitatis, juxta ejusdem Capituli rubricam his verbis expressam: *Tempore magna necessitatis, non debet aliquis excusari a murorum seu civitatis custodia* Extra casum autem necessitatis, Ecclesiasticos ab hoc onere vigiliarum sive per se, sive per alium suis impensis subeundo esse immunes, nemo interpretum dubitat, uti videre est apud Boetium Eponem in commentario ad hoc Capitulum 2.

XLVI. Idem auctor latè in utramque partem discutit, an Ecclesiastici teneantur contribuere in reparationem murorum & mœnium civitatis; asseritque eam quæstionem inter utriusque Juris Interpretes multum controversari, & allatis utriusque sententiæ fundamentis tandem dicit *nu. 4. 2.* „Propter tantam quæstionis ambiguitatem, quoties hac de re controversia fuit, plerumque negotium transactione fuit sopitum, neque sententia contra Clerum ulla repetitur hæcenus in hujus quæstionis genere lata.

XLVII. Rebuffus in suo tractatu *De Sententiis provisionabilibus art. 3. Gloss. 6.* fat innuit, Clerum de jure non teneri contribuere pro reparatione murorum & fortificatione civitatis; tamen asserere non dubitat, contrariam opinionem de facto servari in Francia.

Post hæc statuit hanc conclusionem. „De consuetudine itaque cogitur Ecclesia & Clerici duobus intervencientibus ad pontium, itinerumque refectiones & murorum primò si refectione fiat propter necessitatem, & non ad decus urbium solum, quia necessitas legem non habet. *L. unica. ff. de officio Consul.* & omnia tempore necessitatis communicanda sunt. *L. 2. in eadem. ff. ad legem Rhod de jactu* Ratio est, quia clerici juvabuntur pontibus, & illis muris, & itineribus, sicut laici: idè secundum naturam est eum pati incommoda, quem sequuntur commoda, *L. secundum. ff. de reg. jur.*

„Secundum quod Ecclesia res ibi possideat temporales unde choridgeri, vel alii clerici, qui nullum temporale possident, non tenentur; ut asserit Guiliel. Bene-dic in *repe. cap. Raynuitius in verb. & uxorem n. 1030. de testam.* quia temporalia tunc capiuntur pro executione, quæ non possunt capiri quando illæ Ecclesiæ non habent, nec solent condemnari eo casu clerici, vel Ecclesiæ.

Subjicit dein plura Parlamentorum arresta, quibus Ecclesiastici ad hanc contributionem condemnati fuerunt, „per quæ patet (inquit) hodie non esse dubium in hoc Regno Franciæ.

XLVIII. Certum est, quod in hac materia, etiam consuetudo & receptus usus non parùm sint attendenda; nec facillè Ecclesiastici contra receptum usum privilegia urgere debeant; præsertim inferiores inconsultis suis Superioribus.

XLIX. Inter onera merè personalia, sed tamen patrimonialia, est illud quod *capitatio* dici consuevit; estque vectigal sive tributum, quod pro capite solvitur; puta, quod Patres familiarum pro singulis capitibus æratio publico dependere coguntur.

Ab hoc tributo sive onere Clericos esse immunes ex Jure scripto evidens est, cum nimis evidens sit hujusmodi oneris impositione Ecclesiasticas personas à laicis gravari contra *Cap. 7. De Immunit. Eccles. & Cap. 1. De Consibus in 6.* notatque Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap. 14. addens § 4.* „Causa urgentis te Sacerdotes hoc tributum persolvunt, impositio tamen non fit nisi de eorum consensu; uti factum in Edicto

de 5. Martii 1631. „quod habetur parte 2. Edictorum Brabantia *lib. 1. tit. 1. cap. 2. 1.* ubi exprimitur singulatum quid singuli capitum contribuere debeant.

L. Ratio indultæ hujus immunitatis realis sive patrimonialis non obscurè indicatur à Concilio Lateranensi in *cap. 4. De Immunit. Eccles.* ubi deplorat, quod laici sive fossata sive expeditiones, seu alia quælibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, & Clericorum & pauperum *usibus* deputatis velint ferè cuncta compleri.

Quid his aliud indicatum voluit Concilium, nisi indignum esse, bona Clericorum & pauperum *usibus* deputata (qualia sunt bona Ecclesiarum) in profanos & seculares usus converti? Ut proinde causa hujus immunitatis esse videatur, quod bona in hos usus à populo & Principibus oblata & destinata non debeant rursus in alios usus sine gravissima causa converti

LI. Eandem rationem videtur jam pridem attigisse S. Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis libro *De Dispensat. Eccles. cap. 19.* „Quæ situm est etiam, vel quæ potuit cur Dominus exactioribus publicis, qui dixerunt Petro, *Magister vester non solvit didragma de loculis non dedit stateram.* sed Petrus ad mare direxit, ut de ore piscis tolleretur? Responsumque est à Doctoribus Ecclesiæ, quia dominici loculi in pauperes & in divites festos expendebantur; & cum exegisset necessitas in alimenta discipulorum Domini, (sicut scriptum est: *Discipuli autem abierunt in civitatem ut cibos emerent*) noluisse Dominum, rem pauperum in publicam actionem mittere, sed omnipotenti virtute, quod utique pauperum non erat, de mari tollere & fisco reddere voluisse, ut formam daret discipulis, quam Ecclesiæ commendarent.

Quasi diceret, Christum noluisse ex denariis discipulorum & pauperum *usibus* deputatis vectigal peritum solvere, ut suo facto ostenderet, bona illa non esse impendenda in vectigalia & tributa aliaque publicas actiones; sed Clericorum & pauperum *usibus* servanda esse.

Et uti rectè advertit Vir eruditus, Claudius Fleury in suis *Instit. Can. lib. 1. cap. 29.* loquens de hac Clericorum immunitate. „cum Respublica Ecclesiasticos intertineat, at, & eorum labores compenset, æquum est, ut saltem bona ipsi conservet; ne aliàs quod dat unâ manu, retrahat alterâ

LII. Optimum itaque & efficacissimum medium conservandæ immunitatis bonorum Ecclesiasticorum erit, si bona Ecclesiastica in usus Ecclesiasticorum operantium in vinea Domini, & ex iis moderatè viventium, & alimenta pauperum aliove pios usus impenderentur. Si enim hunc in usum bona Ecclesiæ impendi viderent Principes haud dubiè non secus ac Majores ipsorum ad bona illa Ecclesiæ integra servanda incitarentur; ubi e contra, dum ea in usus profanos contra Fundatorum & Offerentium intentionem insumi conspiciunt, parùm existimant piaculi, dum ea in Reipublicæ commoda convertunt; tuncque sæpe locum habet illud vulgatum *Quod non capit Christus, capit Fiscus.*

### CAPUT III.

De Subsidiiis voluntariis à Clero Principi solvendis.

1. Olim moris fuit, ut etiam Ecclesiastici aliqua dona Principi offerrent: videnturque primitiis fuisse voluntaria.
2. Notitia Monasteriorum qua dona Principi debebant.
3. Dona hac in necessitatem transisse videntur seculo 9. & per ea Monasteria quadam ad egestatem redacta.

4. Quæ

4. Quis finis Ecclesiæ in dandis his donis.
5. Moneantur Principes ut Ecclesia bona tueantur, & non Ecclesiastici, ut Principibus etiam in temporalibus subsidio sint.
6. In necessitate Principi ex redditibus Ecclesiæ subsidium ferre probavit Concilium Lateranense.
7. Ut collecta à Clericis conferatur requiratur de jure communi consensus Episcopi & Cleri.
8. Requiritur notabilis necessitas, eaque arbitrio Episcopi cum Clero.
9. Necessitas vel utilitas debet esse communis laicorum & Clericorum; & cui nec facultates, laicorum sufficiant.
10. Debet dari liberè, sine coactione.
11. Seculo 12. captum est peti à Clero subsidium pro expeditione Hierosolymitana.
12. Hoc seculo Concilium Parisense eum in finem addidit decimam bonorum Ecclesiasticorum.
13. Hæc prima fuit hujus generis decima, dicta decima Saladini.
14. Data pro uno anno tantum; idque ob instantem necessitatem de consensu populi & Cleri.
15. De omnibus bonis etiam mobilibus; & ab omnibus paucis exceptis.
16. Pontifices erant solliciti ut Clerici ad contribuendum invitati non cogerebantur.
17. Ne ad preces Principum nimis facillè Prælati consentirent, Concilium Lateranense IV. requirit, præviè consulti R. Pontificem.
18. Concilium Lateranense Clericis vigesimam, & Cardinalibus decimam imposuit in subsidium Crucifiguratorum.
19. Honorius III. ad succurrendum Imperio Constantinopolitano medietatem proventuum Ecclesiasticorum annui attribuit.
20. Pontifices non semper requirebant consensum Cleri.
21. Pro bello contra Hæreticos Clerus Gallicanus decimam annuit, sub conditione, ut Rex personaliter laboraret.
22. Clerus impositioni decime subinde restitit, ne quod gratuitò datur in necessitatem verteretur.
23. Pontifices interdum Clericos reluctantes ad solutionem adigebant.
24. Hæc decimarum impositio penè in contributionem ordinariam & perpetuam transibat; ipsaque expeditio Hierosolymitana sæpe tantum erat falsus pretextus.
25. Reges monebantur ad restituendam decimam omni sæpe expeditione, sed frustra.
26. Rex Angliæ à Pontifice peti decimas omnium Regnorum quorum Principes personaliter expeditionem in Terram Sanctam non susceperant.
27. Respondet Pontifex anni postulatus non posse: responsum indicat, Bellum factum fuisse tantum prætextum exigendi decimam.
28. Clerus maluit decimam in defensionem proprii Regni Principibus addicere.
29. Clerus Gallicanus suo Regi tantam decimam sponte addidit, quantum Pontifices dare solebant.
30. Idque in evulsionem sui Regni.
31. Circa hoc tempus Clerum à laicis multum gravari conqueritur Bonifacius VIII.
32. Constitutio Bonifacii VIII. qua sub excommunicatione vetat etiam sponte aliquid à Clericis contribui sine licentia Sedis Apostolicæ.
33. Cum derogatione omnium privilegiorum etiam Regibus indultorum.
34. Multum contra hanc Constitutionem exulceratus fuit animus Philippi Pulchri Regis Galliæ.
35. Bonifacius mentem suam exposuit, atque à nonnullis suam Decretalem malignè interpretatam asserit.

36. Declarat suam Decretalem ad casum necessitatis, que Regis conscientia committitur, non extendi.
37. Huic declarationi innitit dicitur privilegium Regis Galliæ recipiendi subsidium à Clero sine licentia Pontificis.
38. Benedictus XI. mitigavit Decretalem Bonifacii VIII.
39. Clemens V. eam revocavit & irritam declaravit; & quare.
40. Decima impositio tempore schismatis Avenionensis admodum frequens fuit.
41. Decretum Concilii Constantiensis super hac impositione.
42. Neque post hoc Decretum cessavit; semper tamen solvebatur tanquam subsidium extraordinarium & gratuitum.
43. In Gallia præcedenti seculo coepit solvi ut subsidium ordinarium.
44. Caput præter decimam solvi aliud subsidium nomine doni gratuiti & quomodo illud imponatur?
45. Precaria vulgò Bede in Belgio solvi solita primitiis fuit gratuita & extraordinaria.
46. Hodie est ordinaria contributio.
47. Hæc contributio non gravat bona Ecclesiastica.
48. Abbates conficientes primum membrum Statuum Brabantia solvunt suam specialem quotam in hac contributione.
49. Clerus secularis non contribuit; quia in eam non consensit.
50. Clerus secularis Brabantia tanquam Corpus distinctum conferebat Principi subsidium.
51. Non comprehenditur sub consensu Ordinum Brabantia.
52. Qui constituunt primum Membrum Ordinum Brabantia non contribuunt cum Clero.
53. Quæstio aliquando fuit, qui cum Clero, & qui cum Statibus contribuere deberent.
54. Post erectionem in Belgio Episcopatum, Clerus mansit separatus à primo Membro Statuum Brabantia.
55. Clerus urgentibus laicis aliquando in subsidium ex consensu Statuum concessum sine consequentia concurrit.
56. Principes Belgii etiam hoc seculo habuerunt Clerum Brabantia ut Corpus à Statibus Brabantia distinctum.
57. Clerus etiamnum hodie contendit se non comprehendere.
58. Clerus numquam per ordines Brabantia nominatim taxatur, nec certa quota ei imponitur.
59. Non convenit ut clerus in subsidio taxetur à laicis.
60. Clerus Brabantia in annuendis subsidiiis adhibuit consensum Episcoporum.
61. Non solet Consuli Romanus Pontifex.
62. Convenit ut à subsidiiis exempta sit competentia Pastoralis.
63. Subsidia diversimodè colliguntur.
64. Quæ inter modos colligendi differentia?



ertum est quod jam pridem in more fuerit, ut non tantum Seculares, sed & Ecclesiastici Procures annua dona sive munera Principi offerrent.

In Concilio Vernensi anno 755. *Can. 6.* Rex Pipinus mandat Abbatibus & Monialibus è suis non egredi Monasteriis sub prætextu deferendi sua munera ad Principem; permittens ea per suos Deputatos deferri; Et qualia MUNERA ad PALATIUM dare voluerint, per Missos suos ea dirigat.

Termini illi, qualia munera dare voluerint, insinuare videntur, tunc temporis munera illa fuisse voluntaria & arbitraria saltem quoad quantitatem.



II. Anno 817. Ludovicus Pius Convencum fecit apud Aquis Sedem regiam, Episcoporum, Abbatum, seu totius Senatus Francorum, ubi inter ceteras dispositiones Imperii statuit, atque constitutum scribere fecit, quæ Monasteria in Regno vel Imperio suo dona, militiam facere possunt, quæ sola dona sine militia, quæ verò nec dona nec militiam, sed solas orationes pro salute Imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilitate Imperii, Dein notantur nominatim Monasteria quæ militiam & dona, item quæ sola dona, & tum quæ solas orationes debent; atque postremorum numerus priora excedit: videturque respectus ad paupertatem vel opulentiam monasteriorum habitus fuisse; cum dicatur, quæ Monasteria militiam & dona jacere POSSUNT.

III. Ex his equidem non obscurum apparet, dona hæc in quamdā necessitatem transiisse. Et quidem onere illo nonnulla Monasteria fuisse ad paupertatem redacta indicat Arno Monachus in vita S. Benedicti Ananienſis, narrans quod hic Benedictus à Ludovico Pio obtinuerit aliquod sublevamen pro Monasteriis, quæ per militiam & dona ad summam egestatem redacta fuerant. Erant (ait) quædam ex iis munera militiamque, exercientia; quapropter ad tantam devenerant paupertatem, ut alimenta, vestimentaue deessent Monachis.

IV. Scribit Hincmarus Remensis in opusculo De Ordine Palatii, quod per hæc dona Ecclesia satisfacere intendat debito suo erga Principes per Apostolum denuntiatio. Causa suæ defensionis Regi ac Republicæ, vectigalia, quæ nobiscum annua dona vocantur, præstat Ecclesia, servans quod jubet Apostolus: Cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal præstare Regi, ac Defensoribus vestris.

V. Circa annum 844, in Synodo secus Theudonis Villam habita, cui interfuerunt tres fratres gloriosi Principes Hlotarius videlicet, Hludovicus & Carolus, patres ipsos Principes fortiter monuerunt, ne res Ecclesiasticas invadi, & abusum finirent; sed eas integras ac illibatas conservarent exemplo prædecessorum suorum; una tamen volentes, ut omnes Ecclesiastici, quantum possent non tantum spirituali, sed & temporali subsidio Regi auxilio essent. Verba Synodi Canone 4. sunt: Quod ut commodius valeatis implere, unusquisque vestri Ecclesiasticus & intercessionis adjutorium, & solatiū quo Republica indiget subsidium, juxta quantitatem rerum Ecclesiæ sibi commissæ, salvo jure quod exinde divinis dispensationibus debet impendi, promp̄te & ex animo parare, & impigrit, sicut tempore antecessorum vestrorum consueverat, studebit offerre.

VI. Et sanè numquam Ecclesia non probavit, ut etiam ex Ecclesiæ facultatibus Republicæ & Principibus ad defensionem Regni aliasque necessitates liberali & grato animo subsidium feratur.

Quapropter Concilium Lateranense sub Alexandro III, in Cap. 4. De Immunit. Eccles. postquam sub anathemate prohibuit talliis & exactiōibus res aut personas Ecclesiasticas gravari, subjungit hæc clausulam: Nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactiōne (vel ut legitur cap. 19. Concilii, coactione) ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment, conferenda.

VII. Juxta litteram hujus Decretalis, ut subsidium temporale sive collecta Clero imponatur, requiritur primò non tantum consensus Episcopi, aut Cleri, ut post alios Canonistas notat Prosper Fagnanus ad hoc Capitulum n. 23. cum copula & in textu posita requiratur, concursum utriusque copulari; & probatur apertius in cap. 7. eod. ubi refertur dispositio hujus Canonis, & textus dicit: Episcopus SIMUL cum Clerico. Quo fit,

ut nec cum Capitulo Episcopus id possit; quia in tantibus totum Clerum non sufficit, Episcopum habere consentum sui Capituli, sed oportet ut conveniat consensus Cleri. Hæc ille.

VIII. Secundò requiritur necessitas, vel utilitas, imò cum textus dicat non tantam, sufficit quælibet, sed requiritur maxima; & pender ex arbitrio Episcopi, cum Clericis hoc judicare; cum textus dicat, aspexerint. Ita post Panormitanum & alios citatos Fagnanus n. 25.

IX. Tertio requiri, ut hujusmodi necessitas vel utilitas sit communis, videlicet tam laicorum, quàm Clericorum, post Panormitanum multis contendit Fagnanus num. 26. Notatque dein requiri, facultates laicorum relevandis necessitatibus non sufficere; ita ut Clerici non concurrant, nisi in subsidium.

X. Denique requiritur ut contributio fiat ab Ecclesiasticis sine coactione vel compulsione; ac propterea in Cap. 7. De Immunit. Eccles. expressè cautum est, ut laici humiliter & cum gratularum actione recipiant subsidia, quæ Clerici duxerint conferenda.

XI. Cùm circa hæc tempora Principes animarentur ad suscipiendam expeditionem Hierosolymitanam pro recuperatione Terræ Sanctæ, cepta fuit à Clero postulati contributo pro expensis illius expeditionis sustinendis.

XII. Refert Rigordus in vita Philippi Augusti Regis Francorum, quod anno 1188. mense Martio mediâ quadagesimâ Parisiis celebratum est generale Concilium à Philippo Rege convocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & totius Regni Baronibus; in quo innumerabilis militum multitudo seu perditum, sacratissima cruce insigniti sunt. Et propter hanc instantem necessitatem (oppidò enim iter Hierosolymitanum Rex affectabat) cum assensu Cleri & populi, quasdam decimas ab omnibus esse accipiendae dædè tantum anno decrevit, quæ dictæ sanctæ decimæ Saladini.

XIII. Hic notandum, antiquiorem non reperiri decimæ hujus generis, id est, quæ à Clero Regi solvitur, & Gallico idiomate vocatur Decimas, institutionem. Unde & hæc esse primam decimam Clero impostam, quæ vocatur decima Saladini, communitè notant Auctores de hac specie decimæ tractantes.

XIV. Illud observatu dignum, hæc pro eo tantum anno fuisse institutam, Item quod exigeretur ab omnibus, tam laicis, quàm Clericis; idque cum consensu Cleri, & populi; & etiam ob instantem necessitatem.

XV. Addit etiam Rigordus, constitutum esse de decimis, quod omnes illi qui cruce non habentes, qui, cumque sint, decimam ad minus dabunt hoc anno de omnibus mobilibus suis, & de omnibus redditibus, exceptis illis qui sunt Cisterciensis Ordinis, & Ordinis Carthusiensis, & Ordinis Fontis Ebrardi, & exceptis leprosis quantum ad suum pertinet proprium.

Quas mutationes sensim acceperit hujus decimæ impostæ & solutio in sequentibus videbitur.

XVI. Interim solliciti erant Pontifices, ut non nisi de consensu Cleri onus aliquod imponeretur. Unde cum anno 1203. Medolanenses cogerent Ecclesiasticos ad contribuendum, Innocentius III. acriter ipsos reprehendit, permittens ut recipiant humiliter cum gratiarum actionibus, si quis forsitan Episcopus & Clerus simul tantam necessitatem vel utilitatem inspexerint, ut absque ulla coactione, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesiasticos duxerint conferenda. Apud Odoricum Raynaldum ad hunc annum n. 65.

Hæc consona sunt Decreto Concilii Lateranensis sub Alexandro III, uti supra notavimus,

XVII. Verùm attendens hic Pontifex Innocentius III. quod Episcopi & Clerici faciliùs forsitan quàm optereret, necessariam aut utilitatem subesse judicarent, præsertim Regibus aut Principibus contributionem sive subsidium à Clero pendendum urgentibus, anno 1215. in Concilio Lateranensi IV. renovans Decretum præcedentis Concilii Lateranensis, addidit hæc clausulam: Propter imprudenciam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur: cujus interest, communibus utilitatibus providere. Refertur in Cap. 7. De Immunit. Eccles.

XVIII. Illud ipsum Concilium suâ auctoritate, Clericis omnibus vigesimam, Dominis Cardinalibus decimam pro expeditione sacra indixit; uti refert citatus Raynaldus num. 14.

XIX. Honorius III. immediatus Innocentii successor Guiljelmo Marchioni Montisferrati ad succurrendum Imperio Constantinopolitano, mediam partem reddituum Ecclesiasticorum & omnium mobilium, exceptis Ecclesiæ thesauris anno 1224. attribuit. Notanda sunt verba Epistolæ, quàm ad Clerum Imperii Constantinopolitani super hæc impositione scribit apud Raynaldum num. 25. Attendentes satis esse, ut bona vestra & Ecclesiæ vestrarum pro manutenuendo imperii statu communicetis ad tempus, quàm ea omnia perperuò amitatis, de fratrum nostrorum consilio, propter urgentem necessitatem duximus statuendum, ut omnium vestrorum proventuum hujus anni, omniumque aliorum mobilium, quæ nunc habetis in ipso imperio, exceptis dumtaxat Ecclesiæ thesauris, vestibus, & equis, & utensilibus in quibus non est aurum vel argentum, aut lapides pretiosi, medietatem integre conferatis.

XX. Evidens est, Pontificem Clero hæc contributio, nem sine prævio ipsius Cleri consensu, tamquam primarium rerum Ecclesiasticarum Dispensatorem, imposuisse; uti & sequentes Pontifices sæpiùs decimam aliamve partem proventuum Ecclesiasticorum Regibus & Principibus, inconsulto Clero, attribuerunt.

XXI. Et quidem cum decima hæc primùm in subsidium expeditionis in terram sanctam data esset, dein etiam in subsidium belli contra alios hæreticos concedi cœpit.

Ad bellum contra hæreticos Albigenſes conficiendum Legatus Apostolicus decimam in Concilio Bituricensi decrevit, Clerus cum animi gaudio, de pura liberalitate, ne tanto negotio deesse videretur, dimidiam partem decimæ, non quidem nomine decimæ, sed obteutu subsidii perolverunt, aliam partem & etiam majorem, si expediret, si Deus eumdem Regem, servasset incolumem; & in eodem negotio persistentem, libenter & liberaliter soluturi.

Eâ tamen conditione hæc contributionem seu subsidium promiserat Clerus, si Rex Ludovicus VIII. negotium sive bellum contra Albigenſes assumeret, & personaliter laboraret.

XXII. Cum igitur Ludovico VIII. defuncto ipse Legatus Apoit, Clerum ad solutionem decimæ in favorem Blanche Reginæ matris Ludovici IX. Regis adhuc pueri compellere conatus est, restiterunt complures, considerantes quod non erat, in cujus manu negotium posset perficere sicut priùs (vivente Ludovico VIII.) nullam visum est eis subesse causam, quare quinque annorum decimam solveretur: maxime cum jam Legatus veller eos, sicut dicebatur, ad solutionem, ut Reginæ promiserat, compelleret, eodem dicente, quod etiam cappas nostras daret ei; nec Regina se veller ad certum tempus, vel certum numerum militum aliquatenus obligare; attendentes, quod de liberalitate processerant, converterebatur in obligationem, & servitutum sibi timentes in posterum. Quatuor Provinciarum in-

signia Capitula, Remense, Senonense, Turonense, & Rothomagenſe, habita deliberatione & tractatu pro libertate sua potius quàm pro subventionem vitanda, ne ad onus ejusmodi compellerentur, ad Sedem Apostolicam appellaverunt.

Hæc ex Epistola Capituli Parisiensis ad Gregorium IX. quæ extant apud Odoricum Raynaldum ad annum 1227. num. 57. qui ibidem num. 58. refert litteras Gregorii ad Capitula quibus Legatum suum acrioribus verbis perstringit, jubetque ut ordinationem & malè tentata in Clerum revocet.

Ex his equidem apparet, Capitula timuisse, ne illa quæ primitus ut dona gratuita ex mera liberalitate erant oblata, tandem in jura & servitutes converterentur; quod in similibus nimis frequenter evenire experientia plus quàm notorium est.

XXIII. Verùm postmodum idem Gregorius attentè auctoritate qua ipse Legatus fuerat instructus, decimam impostam solvendam declaravit, litteris ea de re datis ad Ludovicum adhuc puerum; apud Odoricum Raynaldum num. 61.

Apparet quoque ex his, Pontifices eorumque Legatos secundum datam sibi à Sede Apostolica auctoritatem Clerum ad decimam aliasve hujusmodi subventiones cœpisse compellere, etiam invitum & reluctan-

tem. Auctoritatem hæc luculentius adstruxit Clemens IV. Cum enim anno 1267. S. Ludovico in subventionem belli sacri decimam trium annorum omnium reddituum & proventuum Ecclesiasticorum in toto Regno Franciæ jusſisset exhiberi, ea res ingrata accidit Clero Gallicano; utque se ab hoc onere liberaret, Oratores suos ad Pontificem misit; qui eorum dicta rejectit & refutavit litteris suis ad Decanos & Capitula datis, in quibus inter cetera dicit: Nec appellari debuit sub nomini abusione tributum, quod de bonis Ecclesiasticis in illius peculiare negotium, qui suo sanguine fundavit Ecclesiam (Hierosolymitanam) seu alias interdum exigente necessitate; vel suadente utilitate, de liberatione, provida potestatis Apostolice plenitudo dispensat. Extant hæ litteræ apud Odoricum Raynaldum ad annum 1267. num. 53 additque quod si contemptis censuris refractarii & rebelles persistant, non sit abbreviata manus Vicarii Christi, ut contemptoribus res hujusmodi private possit beneficiis & inhabiles reddere ad habenda, deponere, degradare & exequi quod statuit in vocato brachio seculari nisi cesset subditorum devotio, non dormitet coercitio contemptorum.

XXIV. Adeò frequentes fuere hæ decimarum impositiones ut ferè annuæ & ordinariæ fierent; & quantumvis pieræque concederentur in subsidium expeditionis in Terram sanctam vel belli contra hæreticos, nihilominus Reges eas in suum ærarium referre non dubitabant, tamen nulla similis expeditio sequeretur.

XXV. Unde anno 1291. Philippum Pulchrum Regem Galliæ Nicolais IV. exhortatus est litteris, ad eum datis, ut vel cruce pro re Syriacæ recuperanda indueret, vel decimam parenti cruceſignato concessam restitueret. Qua de re etiam scriptis ad Parisiensem Episcopum, ut si Gallorum Rex cruceſignia in Saracenos attollere respueret, collectas & decimis pecunias à patre acceptas restitueret. Hæc Odoricus Raynaldus ad annum 1291. num. 22. qui & num. 56. notat, quod eodem anno ipse Philippus missis ad Nicolaum Papam Oratoribus petierit rursus decimas sexennales in sumptus sacri belli; ut vel inde appareat, quàm parum dispositus esset Philippus ad reddendas decimas à patre suo acceptas.